

tiosam esse certum erit. Sed esto, concedatur finem Argyropœiæ & Chrysopœiæ esse opes & divitias, ex illarum tamen copia aut penuria, vera an falsa sit ars, dijudicari non poterit. Nam argumentum tuum est à possibili, quo aliqua necessitas non inducitur. Si enim ex ignoratione huiusce aut alterius artis, qui eā exercuerit, pauperior evaserit, non arti, sed ignorationi artificis imputabitur. Nec tamen propterea ars aut falsitatis aut impossibilitatis coarguenda erit. Sin ab ingenioso & perito exerceatur, nihil illi ex operibus deerit, & si paucis contentus fuerit, nec nisi quantum rei familiaris necessitas postulabit, (qui sapientis verus est scopus) si opibus se profluere & superbire, re ipsa demonstraverit (qui insipientis est finis) veritas artis deprehendetur.

Sed quoniam ut plurimum hæc ars ab imperitis tractatur, mirum non est, si ipsa pauperiem facere dicatur. Sane nisi ab expertis edoceatur, & re ipsa demonstretur, vix nisi longissimo tempore ad eam perveniri potest. In summa, si Argyropœiam aut Chrysopœiam exercentes ad inopiam rediguntur, non artis falsitas, sed turpis illorum ignoratio causa est inopiæ.

*Quadragesimum secundum Argumentum.*

Quæ à gravibus & probatissimis viris ars nec cognita nec probata est, ars non est.

At gravibus & probatissimis viris chemiæ ars non est probata. Ergo,

Ars non est.

Huic argumento adijcis aliud simile.

*Quadragesimum tertium Argumentum.*

Quæ novæ sunt Artes, non sunt Artes.

Atque Ars Chemica quatuor aut quinque antehac secula non excedit. Ergo,

Non est Ars.

*Responsio.*

Si Hippocratis, Aristotelis, Galeni & cæterorum antiquorum Philosophorum & probatissimorum virorum seculis hæc ars incognita fuit, ut ars, nec etiam ab iisdem probari aut improbari potuit. Nec quod forsitan tantæ sit antiquitatis, ut putas, idcirco ars non est dicenda. Nam & nauticæ pixidis, tormentorum bellicorum, & Typis excudendorum librorum artes vetustati incognitæ fuerunt, quibus tamen artibus antiquitas nihil par habet. Artes tamen sunt & verissimæ. Nec minus his omnib. verissima est & admiranda Argyropœia & Chrysopœia, quæ etiam cognita est viris probatissimis, & in naturalibus Philosophiæ præceptis peritissimis, licet paucis

Veritas  
falsitas ar-  
tis nō ex  
opum co-  
pia aut in-  
opia, sed  
ex igno-  
ratione  
artis iu-  
dicanda.

Imperiti  
artis pati-  
eriem fa-  
cere solēt;  
Difficul-  
tas artis.

¶ I Ib

¶ LI II

Novæ quæ-  
dam artes  
veteribus  
præstare  
tiores.